

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. I. De operis præstantia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

præcipue sæculi nostri quotidie  
delicioris genio accommmoda-  
ta, *vendibili enim vino*, ut decan-  
tatum fert proloquium, *quaesiti*  
*elegii hædera haud opus.* Nihilo-  
minus non erit abs re, ut præ-  
cipuas, quibus Fleuriānæ Histo-  
riæ continuatio ab Auctore no-  
stro feliciter elaborata ceteris e-  
minet, prærogativas impræsentia-  
rum recenseam.

§. I.

*De operis præstantia.*

Perfecti Historici partes ex-  
plesse, ab omnibus artis criticæ  
peritis censetur ille, qui in rebus  
seu recensendis, seu refecandis  
prudentia, in dijudicandis foler-  
tia, in iis, quæ laude vel vitupe-  
rio digna sunt, internoscendis sa-  
gacita-

gacitate, in variis gestorum narrationibus constantia præstans existit, ac demum severus veritatis assertor, atque ab omni partium studio alienus probatur. Ad hæc sane criticses præcepta instrutam esse præsentem Historiæ continuationem haud cunctanter asserimus; illius enim Auctor celeberrimi Abbatis Fleurii vestigia premens minus digna, a proposito suo devia, ac scholasticorum altercationes redolentia sollicite resecavit, potissima tamen Ecclesiæ atque Europæ gesta methodo digessit adeo succincta, ut *ex eorum simplicissima narratione paratum* (ita Cicero loquitur (a)) *habeant,*

---

(a) *ad Marcum Brutum.*

c 4

*babeant, unde sumant, qui velint operosiorem Historiam conscribere.* Non tamen propterea conqueri poterit Lector, ac si ex ejus Historia plus habeat, quod divinet, quam sciat & teneat. Media enim incessit via Continuator noster, nunquam parcus, nisi facti ignobilitas exposcat, semper amplius, ubi rei gravitas verba per concisas oratiunculas restringere prohibet. Nec ergo compendium sterile, nec fastidiosa Historiæ volumina tibi exhibentur; hujus enim operis usus Lectori suo nec brevitate insufficiens, nec amplitudine tædiosus erit. Præterea libero satis calamo ea reprehendit Auctor, quæ vituperanda dicit, & quæ placent, adjectis non raro

raro rationibus comprobat, in quo tamen & ipsum quandoque humana passum fuisse, haud dissimulamus, quamvis id non Scriptoris vitio factum credamus, sed moribus patriæ, in qua scripsit, serviendi necessitate. Nihilominus jure merito de Continuatorre nostro id ipsum, quæ Weismanus de Joanne Launoio effatus est, edicere valeo: (a) *Historicus est cordatus, lectionis vastæ, judicii sat exercitati, & quod præcipuum est, veritatem animo liberiore sectantis ingenio.* Ut vero sibi semper constaret, coævos ut plurimum sequitur auctores, totumque narrationis filum ex eodem

---

(a) in sua Notitia Auditorum.

eodem plerumque Historiæ corpore dedit. Dixisse sufficiat Continuatorem nostrum, quæ Fleurius indefesso juxta ac utilissimo labore auspiciatus est, tam ampla eruditione & ingenio absolvisse, ut quæ olim Joannes Hornbeckius de Baronii Annalibus censuit, de utroque Clarissimo nostro Auctore effari liceat: Sane, inquit ille: (a) *istud opus incomparabile dico, cui ob Auctoris utriusque diligentiam, laborem, & eruditionem, quantum debet, vix scit Eruditorum orbis.*

§. II.

*De Continuatoris Nomine.*

Historiæ suæ, quam Continuator a sæculo XV, quo desiit  
Fleu-

---

(a) *Miscell. lib. I. c. I.*